

188

186

192

182

197

177

237

137

287

087

Ende

Anfang

177

desuper jacta fundamenta non lubricabant, et quomodo caementum
sub aqua tenere poterat, et quod tanta moles vitrum non contri-
vit. Ab hac turri Pharos reges Aegypti Pharaones sunt vocati,
imo tota Aegyptus quandoque Pharaon ab ea nominatur. Cum
autem successu temporis turris cecidisset, venit Julius Alexand-
riam contra Pompejum et eo decapitato hanc, quae hodie stat,
structuram in eo loco de mari erexit, ut essent duo maris portus.
Isti autem duo maris portus stant semper pleni navibus de Oriente
et Occidente advenientibus, nam de superioribus Aegypti partibus
per fluenta Nili omnium alimentorum suscipit ubertatem Alexan-
dria et de regionibus transmarinis navigio omnis opulentia mini-
stratur. Adhuc ex utraque India, Saba, Arabia et Aethiopia, Perside,
Media et aliis adjacentibus provinciis quidquid (¶) aromaticum,
margaritarum, gemmarum et orientalium gazarum et peregrina-
rum mercium, quibus noster indiget orbis, per mare rubrum, unde
gentibus illis ad nos iter est, ad eam urbem, quae in superioribus
Aegypti partibus, quae Ardech dicitur, alias Thor, quae in ripa
eiusdem maris sita, defertur et inde in camelis ad Nilum ducta
per fluvium in Alexandriam descendit. Sic ergo orientalium et oc-
cidentalium illic fit concursus populorum, estque eadem civitas
forum publicum utrobique (utriusque) orbi. Orbem enim mercatores
sic diviserunt: omnes occidentales de transmontanis partibus ab
oceano Britannico et sursum negotiantur in Italiam usque ad oras
maris mediterranei et Januam, Venetias et ad alia loca, et non
ultra procedunt. Italici vero ipsum mare mediterraneum complec-
tuntur et negotiantur per ejus insulas et ad Constantinopolim
et ad caeteras maritimas regiones Europae, Asiae, et Africæ us-
que ad alium maris limbum, quem transgredi mercando non au-
dient nec ultra procedere possunt, et portus transmarini magis
nominati sunt Barutinus, Tripolitanus et Alexandrinus. Graeci
vero, Capadoci, Armeni, Syri, Palaestini, Arabes et Aegyptii et
Libyi negotiantur ab ora maris per suas latissimas regiones us-
que in Ardech, sive Thor, sub monte Sinai, et ibi tollunt ab
Indis species aromaticas et ducunt eos in suas regiones, et Aegyptii
Alexandriam replent. Indi autem quantum isti spatium terrae ha-
beant ad negotiandum ignoramus. Hoc tamen scimus, quod omnes
maris portus suis mercimoniis ditant, faciunt autem finem Indiani
contra Orientem terrae habitabili. Nam servi, quos quondam mi-